

Wf  
590

A. 6



H. 66, 3.

Wf  
590



IVSTA SAXONICA

In

*Immaturam, piam tamen & beatam  
ruinam*

**ILLVSTRISSIMI,**  
**ILLVSTRISSIMO ORTV**  
**ET NOMINE PRINCIPIS, Dn. FRI-**  
**DERICI VVILHELMI, DV CIS**  
**Saxonix, Landgravij Turingix, Mar-**  
**chionis Misnix, &c.**

*QUE*

*Post depositam Electoralis Septemviratus Admi-*  
*nistrationem contigit Vinaria VII. Iulij die,*  
*hora pomeridiana XI. Anni currentis*  
*secundi supra M. DC.*

**S O L V T A**

*In incluta Ienensium Vniversitate*

à

**M. IOHANNE TECCIO**

Burgent. V Vestphalo.

**I E N A E**

*Tobias Steinman imprimebat.*





ILLVSTRISSIMO ET GENERO-  
sissimo Principi ac Domino,

DN. IOHANNI,  
DVCI SAXONIÆ, LAND-  
GRAVIO TVRINGIÆ, MARCHIONI  
MISNIAE, &c. DEFUNCTI FRATRI  
Germano, Domino suo Cle-  
mentissimo;

*Lamentatiunculam suam subiectissimo studio ap-  
propriat M. Iohannes Teccius.*

Illustrissime Principum IOANNES,  
Mecœnas sate Regibus vetustis,  
Vernans Saxonicae Domus Columna:  
Quas dono tibi funebres querellas,  
Has terroricrepas meas querellas,  
Oro, suscipe rectiore vultu,  
Sint crassâ licet editæ loquelâ,  
Rauca voce, & inexplorato hiatu:  
Solamen tamen & levamen in se  
Complectuntur, & haurient dolores.



DECA-




# DECANVS COLLE-

GII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA

IENENSI, M. PETRVS PISCATOR,

Hebræarum literarum Professor publ.

Studioſæ Iuuentuti S.

 *Q*UOD SYRACIDES, POPVLI IV-  
daici Scriptor Ecclesiasticus, libri ſui Cap. 44. in-  
quit: Laudemus viros glorioſos, & parentes  
noſtros in generatione ſua; Multā gloriam  
fecit Dominus magnificentiā ſuā à ſeculo: Id haud ob-  
ſcurè, viros præſtantes & illuſtres, inſignibus donis à DEO  
ter Opt. Max. exornatos, publicè etiam laudatos, eorumq;  
virtutes de prædicatas fuiſſe, ut eaſdem alij imitarentur  
& totā vitā ſuā exprimerent, atteſtatur, imò luculenter  
comprobat. Non enim inſignia DEI dona contemnen-  
da ſunt aut negligenda, ſed DEI bonitas & Phiſoſo-  
ſophia, ſapientia potentiaq; infinita inde cognoſcenda.  
Et certè magnæ felicitatis loco habendum, ſi nomen no-  
ſtrum gratā apud poſteros memoriā celebretur. Sic enim  
ibidem Eccleſiaſticus: Omnes iſti in generationibus gen-  
tis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur  
in laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen  
narrandi laudes eorum. Corpora ipſorum in pace ſe-  
pulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem &  
generationem. Sapientiam ipſorum narrent populi  
& laudem ipſorum narret Eccleſia. Quemadmodum  
è contrario magnæ infelicitatis ac maledictionis loco ha-  
betur, ſi quorundam memoria ſtatim oblitteretur. Sic  
enim Eccleſiaſticus: Sunt, quorum non eſt memoria:  
perierunt, quaſi qui non fuerint, & nati ſunt, quaſi non

nati, & filij ipsorum cum ipsis. *Quae cum ita sint, nemo certè fuerit, qui reprehensionem incurrere posse eos existimet, qui Illustrium, & magnorū præcipuè Virorum laudes, publicè decantare consueverunt. Sic enim DEI cum primis gloria illustratur: sic eximia DEI dona in homines collata prædicantur: Sic alij ad virtutem, ad pietatem, ad alia honestatis exercitia, incitantur & inflammantur; sic animus noster gratus erga demortuos declaratur. Id quod suo etiam loco præstare conatus fuit Ornatissimus & Doctissimus Iuuenis, M. IOHANNES TECCIUS BURGENTRICENSIS, VVestphalus; qui parentare sive iusta celebrare Illustrissimo ac pientissimo Principi ac Domino nostro, Domino FRIDERICO WVILHELMO, sanctæ memoriæ, Duci Saxonie, &c. hodierno die Hora III. pomeridiana, constituit. Ad Orationem ergò istam èdουβηκλὼ ut frequentes confluant omnes Academia nostræ Cives, Studiosi præcipuè bonarum partium bonarum artium lectissimi, etiam atq; etiam omnes ac singulos rogatos volumus. P. P. IENAE*

26. Iulij anni τῆς ἑ' λόγος ἐνσαρκώσεως

1 0 0 2.



MAL.



**M**ALLEM EGO VOS,  
 MAGNIFICE DN. PRORECTOR,  
 Magnifice Dn. designate Rector, Spe-  
 etabilis Dn. Decane, Reverendi, Cla-  
 rissimi, Consultis. Experientissimi,  
 Humanis. Eruditissimi, vos Viri reli-  
 qui; tuque nobilissima, benivolentissima, amicissimaq;  
 Studiolorum Corona: mallem ego, inquam, vos, alio  
 ore, alio vocis sono, alio corporis incessu experiri,  
 quam nunc experior. Mallem ego ora vultusque ve-  
 stros minus flebiles & subtristes, vestitum minus pul-  
 lum & atratum, animum spiritusque minus gementes,  
 sentire, quam nunc sentio. Quotquot enim vestrum  
 intueor, nil nisi luctus & lachrymæ, meditatione tanti  
 doloris, tantæ tamque insperatæ calamitatis, extortæ,  
 occurrunt. Nec minus propria mei mens obstupescit  
 & in diversum trahitur, quoties oculos circumferendo  
 in omnes regionis angulos, nihil invenit, quod acerbis-  
 simum hunc Illustrissimi Principis casum & occasum  
 non queratur & defleat. Si oculos sursum tollo, fa-  
 ciemque cœli specto, nostram deflet miseriam: si pu-  
 blicum Patriæ moerorem, me Christe, quantus! Si  
 omnium ordinum statuumque Principes, quam dolent  
 vehementius! Gemit Ecclesia, squalent Scholæ, flent  
 municipia, luget Senatus, moerent propinqui, afflictan-  
 tur omnes subditi, ipsum denique tempus, cumque tem-  
 pore dies suum, quamvis sine voce & querelis, dolorem  
 indicant. Vidimus in magna & illustri frequentia, &  
 etiamnum videmus omnium Procerum pullas vestes,  
 quæ quid aliud quam nigræ Mortis metum præ luctu  
 obversari sibi arguunt? Vidimus demissa in terram



capita, quæ quid aliud testantur, quàm Capite adempto  
 ceu cadavera nos jacere putrida, inque terra relinqui  
 calamitosa & misera? Quid verò nostræ Musæ? Quid  
 nostra Academia? Quid Academiae pulpita? Tonitru  
 ac fulmine quasi prostrata stupent, lugent, mœrent.  
 Nempe Patronum illa amisere Bonum, Mecœnatem  
 Munificum, Dominum Clementissimum, P. P. lumen  
 & columen Germaniæ, Nutritorem Ecclesiæ, Recto-  
 rem & Conservatorem Scholarum, post Deum immor-  
 talem, unicum. Hunc, hunc fata eripuere. Num in-  
 vida? Imò sacra. O imperscrutabilia Domini judicia!  
 O impervestigabiles Iehovæ vias! O Parcas diras!  
 Quam nemini, etiam religiosissimo cuique parcitis?  
 Quæ vos causa impulit, quòd hunc nobis Principem  
 præreptum voluistis, præsertim in ipso annorum vi-  
 gore, inque ea ætate, quæ ad res gerendas primùm  
 fuisset futura aptissima: Et quidem sic præreptum, ut  
 pignora, annis & viribus tanto oneri ferendo paria non  
 reliquerit? Sed quid ego causam pervestigo? Malitia  
 nostra & indignitas hanc pœnam iam pridem meruit.  
 Indignus tanto munere mundus erat, queritur ille, qui  
 non minùs quàm nos funestum & luctuosum Princi-  
 pis obitum exhorret. Cùm igitur tot & tantarum vir-  
 tutum amiserimus Principem, cuius lapsum testata est  
 pronuper supremi diei celebritas, testata insolita atque  
 inusitata omnium ordinum frequentia, testatæ omnium  
 civium lachrymæ, gemitus & suspiria, testatæ Almæ  
 hujus Academiae querimonix, testata denique questu  
 & planctu refertissima parentatio, à Magnifico, Reve-  
 rendo & Clarissimo Viro Dn. Doctore Georgio My-  
 lio, Academiae hujus Professore in Sacris Primario,  
 ejus.



ejusdemque Prorectore, Præceptore omnium nostrum  
 colendissimo, eloquentiæ togatæ Calamistris comptè  
 admodum ante decendum habita; Et verò hæ ipsæ  
 virtutes suo quasi jure sibi vendicent nunquam inter-  
 morituram memoriam, agite, Auditores, neminem ex  
 vobis esse puto, nisi fortè ex eorum tribu & familia ex-  
 titerit, qui, nisi quod ipsi fecerint, fieri nihil rectè opi-  
 nantur: qui mihi vitio verterit, si memoriam Genero-  
 sissimi Principis omni pietate perpetuare, & ad omnem  
 posteritatem propagare coadjuvem. De mortuis quan-  
 tus olim sit habitus honos, etiam me tacente, justa pu-  
 blicè soluta probant, depositiones honorificæ planum  
 faciunt, monumenta præsigni Magnificentia constru-  
 ctâ confirmant, statuae positæ testantur, ludi sumptuo-  
 sissimè peracti fidem faciunt, spectacula apparatussime  
 data vincunt, Orationes denique ostendunt, quibus be-  
 nefactorum memoria subinde decantata est. Quorum  
 tamen nullum tam est firmum & solidum, tam opero-  
 sum & sumtuosum, tam ab interitu & oblivione Ma-  
 jorum res memorabiles, præclaras & illustres vindi-  
 cans, quàm literarum monumenta. His enim, ut Macro-  
 bius testis est, memoriæ fulcitur æternitas, & hominum  
 conservatur immortalitas: hæc vitâ propè æternam ef-  
 ficiunt: hæc ad rectè agendum, benè de omnibus, Req;  
 publica tota merendum excitant: hæc vitæ brevitatem  
 posteritatis memoria consolantur, hæc efficiunt, ut ab-  
 sentes adesse, mortui vivere, horumque quodammodò  
 gradibus in cœlum videamur ascendere. Quid verò  
 Mausolæa profunt? Ad defunctorum recordationem  
 nihil faciunt, nihil habent, quod jure illorum dici pos-  
 sit, qui sub his humati jacent, sed opes & magnificen-  
 tiam

tiam eorum indicant, à quibus extruuntur. Quid statuae aut imagines commodant? Expressa corporis lineamenta quid afferunt? Artificium atque industriam commendant, inani oblectatione, oculos pascunt, prudentiorem, doctiorem, meliorem, spectatorem non faciunt. Ad quid Cippi & Obelisci sepulchris impositi conducunt? Ab ijs, hisce in locis qui commorantur, spectari possunt, longiùs sese non proferunt, sæpè etiam aut vepribus aut dumetis undique septi obscurantur, aut vetustate collabuntur ac pereunt. Ergò sola monumenta litteris scriptisque comprehensa primas tenent. Quod rectè apud Ciceronem Spartiatus Agefilaus ille intelligens noluit à quoquam vel pingi vel fingi suam imaginem, subindicando, Vnum Xenophonis libellum in se laudando, omnes facile imagines statuasque superare. Nec ipsum hoc ab ipsius **D E I** immutabili iussu alienum. Voluit enim is in populo veteris foederis accuratè & studiosè consignari, litterisque committi res domi militiaeque gestas, ut ejus praesentia & bonitas in gubernatione salutari, praemijsque rectè factorum, & ejusdem justum iudicium in scelerum poenis conspiceretur.

Quod igitur homines prudentes semper senserunt, quod in natura ipsa reuocet, quod sana & recta ratio iudicat & definit, quod pietas ipsa flagitat, denique quod **D E I** vox expresso mandato promulgavit, nonnè & nos sanctè beateque observare iustissimum est? His alijsque causis, quas consultò latere nunc patior, motus, cum de eodem Illustrissimi quondam Principis nostri **F R I D E R I C I V V I L H E L M I** discessu, hodierno die parentandi Provinciam mihi sumserim, iterum agite,  
Audi.

Auditores, ad officium pium & debitum nos accingamus, & communibus lachrymis ejulatibusque communem nostram calamitatem prosequamur. Quod quidem vos video certatim factitare omnes, quotquot intueri ex hoc suggesto possum. Ego verò, quem plus animi afferre ad consolandum vos decebat, adeò moerore undique oppletus & circumfusus sum, ut penè vox mea omnis intercludatur, & quid dicam, unde incipiam, ubi desinam, vix reperiam. Utinam verò tantam in summi hujus Principis laudibus celebrandis, adhibere possem vim, & dexteritatem dicendi, quantam virtutes ejus prorsus divinæ flagitant, quantam ejusdem, non quidem naturæ præpropera atque immatura, sed tamen omnibus nobis intempestiva mors, tristitiam attulit! Video talem hinc desiderari laudatorem & præconem, qui ingenio dicendique facultate instructus, ejus dicendo virtutes assequi, pro merito exæquare, hoc efficere possit, ut digna laboribus atque beneficijs tributa præconia videantur; qui imaginem vitamque demortui ita proponeret, ut expressa non adumbrata, ut depicta non narrata, ut denique spectata non audita videatur. Ego quid autem? Quò me vertam, aut quid planè agam, minimè reperio. Ab ægritudine mentem vix avoco. Attamen silere de tanto tamque Magnanimo Heròe, vetat in hanc Academiam probè introducta consuetudo, vetant virtutes & dotes eximiae, quas vel ignorare prorsus, vel non satis commodè digneque laudare, inhumanum atque impium est. Dicere de eodem, cum alia me non sinunt, tum ingenij prohibet tenuitas, audaciæ atque temeritatis suspicio excludit, terrent alia, quæ hoc in loco qui non attendit, nec seipsum

B

rectè

d sta-  
ris li-  
triam  
, pru-  
on fa-  
positi  
ntur,  
etiam  
ntur,  
a mo-  
as te-  
Agefi-  
gi vel  
phon-  
es sta-  
DEI  
opulo  
, lite-  
t ejus  
mijsq;  
scele-  
erunt,  
io ju-  
quod  
nè &  
? His  
notus,  
nostri  
no die  
agite,  
Audi-

rectè nosse, nec verecundiæ atque pudoris rationem habere ullam videtur. Est enim genus Orationis meæ aridum & exangue, exuccum & hiulcum, carens varietatis gratia & nitore, metuens, ut teretes vestras atque relligiosas aures, quæ non nisi ad ingenio perfecta industria elaborata, arte expolita, sunt adsuefactæ, offendat. Venit illud insuper mihi in mentem, perquam difficile esse, commemorare atque celebrare ea velle, quæ sunt propè infinita, idque apud tales velle, qui in tam nota amplaque dicendi segete, quæ tandem cunque allata fuerint, ita allata esse cogitabunt, ut non pauca, eaque præcipua omissa, vulgaria solum adducta, & ea ipsa multò, quàm pro rei dignitate percurfa jejunius statuunt. Veruntamen in hoc quasi bivio constitutum me, illud Poëtæ mirum in modum recreat ac reficit. *Qui, quàm potuit, dat maxima, gratus abundè est, Et finem pietas contigit illa suum.* Animum & cor subministrat illud, quod Historici de Aegyptijs Sacerdotibus referunt, solitos eos fuisse in sacris, cum nullum pro rerum dignitate carmen reperire se posse existimarent, sonum tantum quarundam litterarum decantare, atque ita ostendere, nihil se posse, at plurima interim velle. Quod vel unicum tacitè certio rem me facit, & vos Auditores, & beatam extincti Herois animam in simplici & ingenua Oratione facilè acquieturam. Operam ego navabo sedulam, ut & vestrarum P. C. occupationum arduarum, tuorum nobilissima & florentissima hospitem Corona studiorum & urentis hujus Caniculæ, habuisse me rationem, ideoque brevitati studuisse intelligatis. Atque ut ad rem propiùs accedam, quid aliud in tristissimo hoc squalore & luctu

quàm

quàm quòd hunc ipsum squalorem & luctum augeat, possum dicere? Deligam tamen ex multis, quæ sunt præcipua. Et quia in more institutoque eorundem populorum positum fuisse legimus, ut si qui post supremum diem laudarentur, ita laudarentur, ut nulla rerum aliarum factâ mentione, sola Relligio ac Pietas eorum commendaretur, cum non felicitatis modò in Republica fundamentum, verùm etiam virtutum actionumque præclararum encomium sit & ornamentum, procreatrix & gubernatrix: idcirco pro memorabili ista antiquarum gentium consuetudine, eadem in parte maximè occupata erit mea Oratio, inque uberius flumen excrescet.

Et primùm quidem, quotus quisque est, qui quasi per transfennam saltem salutatis rebus historicis, nesciat, quàm illustrissima à tot seculis semper fuerit, imò adhuc sit, Familia Ducum Saxonorum? quàm clara genere? quàm venerabilis authoritate? quàm memorabilis vetustate? Multos tulit illa Heroas præstantissimos, omni laude Sapientiæ, Iustitiæ, Fortitudinis cumulatos. Tulit, ut ex pluribus paucos attingam, **FRI-  
DERICVM** Bellicosum, **FRIDERICI** Strenui Filium, qui operam non irritam & infidelem navavit **SIGISMUNDO** Imperatori in bello contra Bojemos, quos prælio memorabili & cruento ad Brixiam fudit, qui que cum Fratre **VVILHELMO** Lipsensem Academiam fundavit Anno Christi 1409. Tulit **ERNE-  
STVM**, Principem æquum & commodum, qui cum Iohanne Marchione Brandenburgico, Cicerone illo Germanico, tres Reges, Casimirum Poloniæ, Ladislaum Bojemix, Matthiam Vngariæ, authoritate suâ &

prudencia fregit. Tulit Albertum, quem dextram manum Imperij Innocentius Pontifex VIII. in diplomate nominavit, alij Hectorem Germanicum appellarunt. Tulit F R I D E R I C V M Tertium, cognomento Sapientem, pacis amatorem strenuum, cujus studium, fidem, sapientiam & industriam triginta Comitum conventusq; Imperiales experti sunt, cujus liberalitatem Vitebergensis Academia lenit, quam Anno Christi 1502. instituit, fovit & amplificavit. Tulit I O A N N E M, F R I D E R I C I hujus Fratrem, qui cursum atque libertatem Evangelij, majori æmulatione & constantia defendit. Is nimirum est, qui in conventu Augustano cum conjunctis Principibus & civitatibus, Inviçtissimo Imperatori Carolo Quinto, reliquisque Imperij Ordinibus Confessionem Ecclesiæ reformatæ animo erecto atque excelso exhibuit. Tulit I O H A N N E M F R I D E R I C V M, æmulum paternarum virtutum, & constantiæ Filium, qui omnibus fortunis privari, & exilij captivitatisque ærumnas perferre maluit, quam ab Evangelij Professione se abdicare, aut in ullo officio, Deo & Ecclesiæ ejus debito, claudicare. Tulit I O H A N N E M V V I L H E L M V M, qui ne in parte vel minima vel maxima ab isto laudatissimo Majorum suorum curriculo deflexit, sed eos ita æquavit, ut vinculum concordia, autor pacis, tutor & propugnator Religionis, custos Iusticiæ integer & ardens, optimo jure appellari queat.

Ex hoc jam natus Dux noster F R I D E R I C V S V V I L H E L M V S Anno Christi 1562. die 25. Aprilis, ab ipsis incunabulis non tantum præclaræ indolis specimen, & in vultus suavitate, & in oris eleganti specie, de se pol-

te pollicitus est: sed etiam præclara honestæ disciplinæ  
documenta puer adhuc ita dedit, ut omnium mentes  
& oculos mirâ admiratione in se conjecerit. Ecquid  
putatis, Auditores, unquam gratius & jucundius paren-  
tibus, adeoque simul toti Provinciæ accidere potuisse  
nativitate, ingenuo vultu ingenuoq; pudore, Filij? Sed  
quantò magis, nato sibi novo Principe, eadem gavisa  
& lætata est: tantò nunc luctus omnibus maior ex  
morte ejus contigit, quòd curricula vitæ fuerint bre-  
viora. Et velut Milites, circa expeditionem Argonau-  
ticam olim occupati, post multos mari exantlatos labo-  
res, Herculem amissum, quo tamen authore & duce  
bellum susceperant, confecturumque se sperabant, tur-  
batis animis condoluerunt: Sic & nos meritò lugemus,  
quòd in ipso vix tamen medio vitæ cursu, Optimo  
Principe, orbati sumus. Heu quàm celeriter præcisa  
est spes nostra! Quàm repentina facta mutatio! Spes  
nos certa tenebat, talem nos habiturum Principem,  
cujus sub alis diu essemus salvi & incolumes, & ab omni  
extrinsecus adserpente malo liberi. Sed ô spem falla-  
cem! ô cogitationes inanes nostras!

*Lanificas nulli tres exorare puellas*

*Contigit, observant, quem statuere, diem.*

*Divitior Crispo, Thesea constantior ipso,*

*Lautior & nitido sit Meliore licet.*

*Nil adijcit penso Lachesis, fusosq; sororum*

*Explicat, & semper de tribus una necat.*

Quid enim? Tenebræ oboriuntur, vultus expavescit, in  
aquam resolvitur gemitus. Continentem quidem vi-  
detis me lacrumarum, at incontinentem pij (vel ut ma-  
gis piè loquar) Christiani conquestus, Præterea res ipsa

non sistit lachrymas, & plenior consideratio ipsius rei facit, ut animus ferè obstupescat. Sed pergo: Tu mens inhibe paulum querelas. Communi, sed malo more, præsertim apud lautiores hujus seculi homines, receptum videmus, quòd infantes Nutricibus lactandos committere soleant: At nostrum, dulcissimæ memoriæ, Principem ab ipsa generosissima Matre ab lactatum esse, auditione accepimus. Vt enim sanguine natus erat illustri, ita ex illustribus quoque fontibus, ex corde materno scaturientibus, pasci & alii voluit, innata nimirum morum probitate & heroica vi præstantissimæ naturæ. Quorum utrumque felicissimè consecutus est, adeò ut voluptati fuerit Matri, solatio & delitijs Patri, ipsique summo DEO gloriæ & honori, qui etiam publicâ voce contestatus est, plus se delectari cultu puerilis & infantilis laudationis, quàm multis holocaustis & sacrificijs. Quemadmodum ergò cor tenellum Principis diligenti & indefessa Illustrissimorum Parentum cura, omni in DEVM Pietatis genere in ipsa pueritia imbutum est: Sic adolescens nihil prius, quàm Pietatis exercitia: Sic vir factus, nihil antiquius, quàm veræ Religionis curam habuit, eamque semper cæteris rebus anteposuit. O pium pectus! O Religionem devotam! Quomobrem cum Illustrissimus ejus Parens facilè intelligeret, & dubio procul sagacius secum trutinaret, studia non tantum adolescentiam alere, senectutem oblectare, secundas res ornare, adversis per fugium ac solatium præbere, delectare domi, non impedire foris, pernoctare nobiscum, peregrinari, rusticari: sed etiam in Religionis causa & Republicæ administratione magnum eorum usum patère, tum ut judicium in gravissimis rebus feratur



feratur rectum, tum ut in deliberationibus Imperij publicis sensa animi Princeps ipse rectè enunciare possit: Magnus magni, pueri pater, in eo totus fuit, ut ab annis infantiae eleganter, piè, rectè & eruditè institueretur. Quà tamen in parte ostendenda longus non ero, quia neminem ex vobis P. C. esse arbitor, cui ratio institutionis sit incognita, ut si quippiam dicere conarer, lucem luci addere viderer. Illud nihilominus extra omnem dubitationis aleam est positum, tales Iuniori Herulo præpositos fuisse informatores, quorum virtus non minùs animum excoluit, quàm doctrina ingenium vegetavit. Nam si studijs (ut de suo Fabius hoc mihi largiatur) Scholam profuturam, moribus autem nocituram constaret, quis ex vobis est, qui non his primum sedendi in Orchestra locum relinquat? Est hominum genus, qui mera *κενοδοξία* tumentes, & nihil nisi inanes glorias flantes, sunt impendiò loquaciores, ac nugalibus quibusdam nenijs dilatrantes, pueris fumos venditant, naso suspendunt, nihil doctrinae eorundem animis suggerunt & inculcant, sed inani verborum & argutiarum fuligine & vitiligine perbellè deludunt. Sub his non meruisse Principem nostrum viventis edocuit animus, secundum **D E V M** & virtutem rectè informatus, ut meritissimæ adhuc Præceptoribus ejus debeantur gratiæ. Hic advertant Principes, ut si beatum & foecundum contigerit matrimonium, primam sobolis rectè educandæ curam sibi sumant, ne idem experiantur, quod Caligula olim, Caracalla, Nero, & alij. Vita quidem à **D E O** est. Sed quid hæc sine litteris? Vivi hominis sepultura, ait Seneca. Ideoque cum boni ac fideles Præceptores animam informant, & perfectos

ex no.

ex nobis homines faciant, facile intelligimus, verissime pronunciaſſe Magnum Ariſtotelem, ut DEO & Parentibus, ita & Præceptoribus, qui verâ nos ſapientiâ imbuunt, parem referri gratiam & honorem non poſſe. Et notum eſt vobis Hippocratis Medici juſſurandum: Parentum loco habebō eum, qui me artem iſtam docuit. Quod animadvertentes veteres ampliffimis plerunque muneribus inſtitutores donaverunt. Sic Marcus Antonius Imperator Frontoni Philoſopho, quem dicendi Præceptorem habuerat, ſtatuam erexit: Sic Scipio Africanus Ennij ſtatuam ſepulchro ſuo imponi: Sic Archelaus Euripidem ſibi convivam adelle: Sic Trajanus Romam ingrediens Dionem Pruiſum curru ſuo donatum honorari, Sic Ptolemæus Philopater templum Homero dedicari voluerunt. Sic denique (ut à peregrina ad domeſticam tranſeamus Hiſtoriam) Clotharius Sadrageſillum Ludimagiſtrum, quod Dagoberti filij ſui Pædagogus eſſet, Ducatu Aquitanico donavit. Sed redeat, unde deflexit Oratio. Sic ergo Principem noſtrum inſtitutum ſcimus, uti ab Homero Achilles à ſuo Præceptore Phœnice educatus ſcribitur, ut eſſet *ῥήτωρ τῶν λόγων, πεηκτής τε τῶν ἔργων.*

Cæterum cùm adultior jam factus Dux noſter, tantum in liminaribus artium elementis profeciſſet, ut ſpes pulcherrima eum aleret, non ruiturum quicquid ſolido & ſtabili fulcro ſolidaret, incredibili quodam ſtudiorum æſtu flagrans, in Academiam, non quidem exteram, ſed propriam, à Laudatiſſimo Parente ſtabilitam, abire in animum induxit, ut ibi fragrantiffimum Muſarum odorem aſſiduis naribus olfaceret, ſaporem linguâ inexplebili deguſtaret, venuſtatem labellis ar-

tiſſi-

ctissimè compactis deoscularetur. Venit ergò in hanc  
 Academiam comitis & elegantissimis moribus, vixit in  
 ea, usus Doctissimorum Virorum consuetudine & fa-  
 miliaritate. Non enim latebat eum, *Principium &*  
*finem scientiarum dependere à conversatione*, nullam  
 esse rem, quæ magis animos honestate induat, ac du-  
 bios & in pravum inclinantes ad rectum revocet, quam  
 conversationem bonorum hominum, præsertim eo-  
 rum, in quibus nihil est ficti, nihil curvi, nihil obliqui.  
 Virtutis quædam exercitatio est cum bonis doctisque  
 Viris conversatio, ait Theogenes: Nunquam enim ad  
 tales quisquam accedit, quin doctior abeat. Atque ita  
 Platonem cum Aegyptiorum vixisse Sacerdotibus, fa-  
 miliariter usum fuisse Archita legimus: Sacris initiari  
 Iudæorum, Persarum frui conversatione Pythagoras  
 voluit: annos 20. apud Platonem Aristoteles consum-  
 sit: Euclides, etiam capitis proposita pœna, tunicâ indu-  
 tus muliebri Megaris Athenas ad Socratem profectus  
 est: ne quidem baculo ab Antisthene abigi Diogenes  
 potuit. Nec minùs Auditoria Dux noster averfatus  
 est, nec in alijs locis quàm in his se inveniri passus,  
 omne illud tempus perire sibi existimans, quod Præce-  
 ptoribus vel in Scholis vel domi non tribueretur. Du-  
 bium igitur non est, Auditores, quin si non insignem  
 saltem in Principe laudabilem omnium artium huma-  
 niorum cognitionem sibi optimus Princeps compara-  
 rit. Atque hoc quidem exemplum Principalis virtutis  
 egregium. In studiis Pietatis quis fuerit & quantus,  
 curæ & cordi quomodo ei fuerint, patescit ex ipso Bi-  
 bliorum Codice, quem non sine impensa exigua, ad lit-  
 teram beati Patris Lutheri excudi curavit. Patescit ex  
 C preca-

precationum libro ad instar Vatis Regij proprio Marte  
 conscripti. Laudent alij Constantinum Magnum, qui  
 pro salute Ecclesiae bello contra Licinium suscepto,  
 sacra Biblia aliquoties describi mandavit. Laudent  
 Theodosium, qui manu propria idem hoc in testamen-  
 to novo perfecit. Laudent Alphonsum Regem Nea-  
 politanum, qui quaterdecies sacra Biblia evoluit. Nos  
 in FRIDERICI VVILHELMI laudes gnavius in-  
 quiramus, qui studio indefesso Verbum DEI legit: at  
 parum hoc. amavit unicè atque magnificet: parum &  
 hoc. accurato acumine meditatus est: & hoc parum.  
 in succum & sanguinem convertit: satis illud. Quæ  
 verò in linguis exoticis encomia memorabilia? In ma-  
 nibus habemus Principum Horologium, sive vitam M.  
 Aurelij Imperatoris, ab Antonio de Guevara Episcopo  
 Accitano, D. Caroli Quinti Consiliario & Historico,  
 linguâ Castellanâ conscriptam, operâ autem Illustrissi-  
 mi nostri FRIDERICI VVILHELMI Principis Lati-  
 nitate donatam. Quoties ego à doctioribus quibusque  
 hunc librum commendatum feci! Et profectò ita tersus  
 est, rotundus, polit<sup>9</sup>, axiomatis politicis & exemplis me-  
 morabilibus ita refertus, ut nil nisi veras virtutum He-  
 roicarum imagines inspicienti obtrudat. Et veluti Ho-  
 rologium aliquod Mechanicum omnium oculos ad  
 se rapit: ita meritò hoc Regum & Principum Horo-  
 logium, speculum esto & thesaurus virtutum, cui libet  
 legenti maximam sui partem communicans. Silentio  
 involvo, quot libros veteris Testamenti in sermonem  
 Italicum ex Hebræo contextu traduxerit, Salomonis  
 Proverbia, ejusdem sapientiam, Ecclesiasten, Syraci-  
 den, Iobum, Davidis Regis Psalterium, & alios. Tum  
 Pegaseo liquore quomodo fuerit saturatus, deprehen-  
 dite

dite, præterquam ex alijs compluribus ex elegantissimo elegantissimi Principis Epigrammate, Principum Horologio præmisso. Et reliquis humaniorum litterarum studijs quî fuerit tinctus, apprehendite ex horarum subcivarum jucundissimis exercitationibus. Quid multa? Tantis Dux noster valuit ingenij divitijs, ut eas persequi qui velit, idem arenas metiri, numerare undas conetur? Sunt hæc, Auditores, quæ recenseo, magna: æquè tamen magna sunt, quæ paullo post dicentur.

Postquam igitur bonam ætatis suæ partem Princeps noster in Academia transegisset, tantamque omnium artium cognitionem sibi comparasset, ut in eo nihil desiderari posset, admiratione non dignum, doctrinâ non excultum, moribus non exsculptum; satur jam exercitationum Academicarum pulverisque scholastici, ad aulam summa cum gloria & laude & morum & studiorum reversus est, ut ibidem, Virorum doctissimorum gratiâ utens, quæ erant in Academia incepta feliciter, tractata diligenter, conficeret graviter, usuique recoquenda daret salubriter. Quod usque adeo præstitit, ut memor eorum, quæ sunt præcipua, artem etiam Imperij moderandi, sibi aliquando ad idoneam dierum metam provento destinandi, ex doctissimis non solum Rhetorum libris, sed & vivis Illustrissimorum hominum exemplis arripuerit. Ex quibus nunc certum est, non in cubilibus & lascivijs, non in contentione & æmulatione, non in ocio florem ætatis consumsisse eum, sed ut semel animum induxerat, omnibus virtutibus firmiter adhæsisse. Quid de alijs exercitiorum generibus & equestribus & pedestribus, quibus passim in Principum præsertim Saxoniorum aulis interfuisse eum  
 C 2 nullus,

nullus nisi rerum Saxoniarum prorsus ignarus dubitat, verba faciam? Dies, Auditores, quam nox me citius deficeret, si quæ ab eodem sunt gesta prudenter, effecta sapienter, omnia commemorare vellem. Itaque merito Illustrissimi quique Imperij Principes & Comites eum amârunt, propria aula magnificet, vrbs coluit, venerati sunt docti & cordati viri omnes.

Cæterùm, cùm interea temporis ætate ita profecisset, ut plena in eo pubertas se ostenderet, abrepto antè ex hominibus illustrissimo Parente, gubernandæ Regionis jura communi tutorum & propinquorum consensu, omniumq; Provincialium votis in se recepit, quibus ita usus est, ut summam virtutis laudem in animis & memoria nostra largiter reliquerit. Testis est Patria, Ducatus Vinariensis, quem incredibili moderatione aliquot annos sic rexit, ut omnes ferè ejus partes accessionem sibi fecerint, creverit ad Salam Academia, caput erexerit Ecclesia, in pace atq; ocio optato vixerint omnes subditi. O Principem verè pium! O pectus magnanimum! Cur fata tam subito te tulerunt? Cur nobis inviderunt? Eheu quid dicam? Culpâ nostrâ factum est, quicquid factum est. Totum ejus Imperij tempus quid fuit? Pax & tranquillitas. Quid mores? thesaurus insignis virtutis. Quid vita? typus & imago Optimi Principis. Merito igitur hunc Principem suspicimus, magnisque laudibus efferimus, cujus tam excellentes & singulares virtutes perspeximus. Dulce in primis pacis nomen est, res verò ipsa salutaris, inquit Cicero. Quare & nostro Principi non nomen tantùm hujus pacis, quæ Religioni data est, jucundum semper fuit; sed res ipsa etiam tanquam præcipuus

Impe

Imperij thesaurus, maximæ curæ. Norat siquidem pacatissimus Princeps, non posse homines in verâ de Deo doctrinâ, in articulis fidei, in cultu Deo præstando, in officijs Magistratibus faciendis, erudiri, nisi omnia consilia ad pacis & togæ societatem, non ad belli atque armorum strepitum referantur. Bellum igitur sub hoc Principe nullum sensimus, à latrocinijs, direptionibus, & incursionibus hostilibus immunes fuimus. Quod quàm eximium & divinum sit beneficium, si minus per nos ipsos intelligimus, ex bellis, quibus vicina quædam regna concutiuntur, percipere possumus. Gestum ante paucos annos acerrimâ contentione bellum est in regno Gallico, quod in hanc usque horam instaurari non desinit, gestum est in Germania, à fortissimo Imperatorum Carolo Quinto, impulsu Pauli III. Pontificis: geritur adhuc in inferiori Germania, geritur in Pannonia. Hic commodè mihi occurrit, & in mentem venit memorabilis vox P. Scipionis, quam incendium Carthaginis cum lacrumis & commiseratione inspectans edidit: Quam metuo, inquiens, ne eodem fato non ita multò post nostra corruat Respublica: sic credo, neminem esse vestrûm, Auditores, qui calamitosum in vicinis regnis statum piâ mente volutans, non communem cum afflictis Christianis dolorem capiat, & ne eadem calamitas nos aliquando tangat, vereatur. Tum verò tanta in Principe nostro eluxit morum gravitas, ut non solum vultus eleganter & modestè compositus dignitatem præ se tulerit admirabilem, verùm etiam constantis & veracis animi harmonia pulcherrima in eo apparuerit; adeò erat comis, adeò sermone blandus & humanus, nihil cyclopicæ arrogantia aut fastidij



vulgarium hominum in sermonibus aut gestibus ostendens, nihil insolescens, neminem præ se contemnens, sed magis naturæ vim respiciens, quæ parem omnium facit esse conditionem, cum ex eadem humo omnes sint creati, & in eandem humum omnes sint reversuri. Atque hæc omnia fortunæ bona per se æstimata, caduca & fragilia rectè existimabat, & nisi virtutis splendore æstimentur, floccifacta proseribenda proscriptaque floccifacienda esse, non insecitè censebat. En Philosophiæ virtus maxima! sibi constare posse & nihil admirari, quod admiratione dignum non est!

Sed & aliæ in Heroe nostro incluto virtutes fuerunt deprehensæ, verus veri DEI timor, Religionis puræ studium ardens, justitia omni in officio, prudentia in consilijs, sagacitas in gubernatione domestica, in miseros atque egenos liberalitas: de quorum hac quid est, quod expectatis Auditores? Ad Herodem Atticum palliatus quidam barbaque demissa accessit, stipemque ad emendos panes emendicavit. Interrogatus quisnam esset, supercilioso vultu Philosophum se esse asseruit: Cui Herodes, barbam quidem, inquit, video, & pallium, at non Philosophum: Nihilominus tamen precium panis XXX. dierum dari iussit, dicendo: Demus tanquam homines, non tanquam homini. Trajanus Imp. urbibus per Italiam ad alendos pueros, ne vel hæc ætas beneficiorum suorum expers foret, multa largitus est. Constantinus Magnus iuvit pauperum Scholasticorum studia, eorum tamen maximè, qui in sacris litteris studium suum posuissent. Alvredus Anglorum Rex, Scholas publicas variarum artium apud Oxonium instituit, & tertiam partem suorum bonorum in Scholasticos



sticos contulit. De Paula Romana sanctissima vidua hæc scripsit D. Hieronymus. Quid memorem amplæ & nobilis domus & quondam opulentissimæ, omnes penè divitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum, & bonitatem, in eos etiam, quos nunquam viderat, evagantem? Quis inopum moriens non illius vestimentis obvolutus est? Quis Clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est? Quæ omnia ut verâ fide historica à me percensentur, ita dubietas non est, quin rectè de defuncto piè Principe dicantur. Abeat igitur intempestiva Augusti Secundi Romanorum Imperatoris liberalitas, si modò dicenda est liberalitas, qui militi, noctuam, nocturni somni turba- tricem, capienti, mille nummum dari jussit; Qui idem Corvum, sibi, victori ex bello Romam rede- unti, hæc verba acclamantem, *Ave Caesar victor*, sex mille coronatis emit. Silescat Neronis insana pro- fusio, in ludos, in spectacula, in scurras, in mimos. Nostri autem Principis Munificentia, quæ par oratio inveniri potest? Quòd alij in bella non necessaria, in pompas sumtuosas, in ludos & spectacula, in omnis generis voluptates & delitias insumserunt: Id noster ille ad doctrinæ cœlestis propagationem, Scholarum conservationem, aliasque res, & Deo non adversas, & hominibus non insalutares, largitus est. Neque verò frustra sementem ejusmodi liberalitatis fecit, sed fru- ctus ejusdem longè messuit uberrimos. Quanta enim hoc esse benedictionis divinæ ac felicitatis arbitramini, Auditores, quòd talis omninò fuerit, qualem Amphy- raum Aeschylus describit, bonus, pius, magnanimus, amans Dei quàm maximè, ex cujus pectore tanquam ex fonte quodam sacro consilia optima profluxerunt? Quan-

Quantæ felicitatis illud esse arbitramini, quòd uxores habuerit non corporis modò venustate præstantes, sed & familijs ortas honestissimis, omnibus ijs virtutibus ornatas, quæ pias decorare matronas, erigere & fulcire domos, maritorum recreare animos solent, *SOPHIAM videlicet VVirtembergicam, & ANNAM MARIAM Palatinam?* Quantæ denique felicitatis & beatitudinis esse arbitramini, quando in novissimo labentis mundi die coram **D E I** conspectu, miseri, Munificentia ejus sublevati, exclamabunt: Esurivimus, & ab hoc saturati sumus: Nudati fuimus, ab hoc vestes accepimus: Pupilli fuimus, hic tutelam & curatelam gessit: Exules, captivi, ægroti fuimus, hic nos suscepit, è catenis liberavit, medicinam adhibuit? Sed videor hoc in loco commorari diutius; progrediar, & quæ reliqua sunt, strictissimè persequar.

Cùm jam per annos aliquot felicissimo Imperio Patriæ præfuisset, accidit, quæ sunt rerum humanarum vices, ut Illustrissimus Generosissimusque Dux Saxonie & Elector, **CHRISTIANVS**, Christianæ recordationis, Magni illius **AVGVSTI**, Herculis Germanici, Filius, ex hac vita emigraret, filijs relictis impuberibus, & ad Clayum Imperij Reipublicæque sedendi gubernacula nondum idoneis. His igitur Dux noster partim ipso agnationis jure, partim testamenti Paterni dispositione legitimus Tutor & Administrator constitutus Anno Christi 1591, totum Septemviralem Ducatum, summa cum æquitate & moderatione aggressus est, itaque gubernavit, ut Relligio in Ecclesia, quod primum est, litterarum scientia in Scholis, quod secundum, justitia in Politia, quod tertium, tranquillitas & quies

quies in omnibus Reipubl. partibus, quod quartum, effloruerit. Quos autem existimatis, Auditores, pium hunc Administratorem, tempore administrationis suæ labores exantlasse? Quas molestas devorasse? Quot onera subiisse? Quæ pericula pertulisse? Non certè, ut vulgus quidem sibi persuasum habet, ejusmodi personæ, si rectè rerum suarum atque Imperij fatagere cupiunt, in rosis & violis sedent, sed maximis stipati curis & anxietatibus sæpè vix inveniunt, quò pedem ponant. Si quæras ex me, quos unquam in vita Dux noster labores difficilimos sustinuerit: Respondebo, quos in administratione sustinuit. Et si rursus quæras, quos jucundissimos, dicam, quos in Administratione. Sed tertio si quæras, quas in hoc administrationis curriculo virtutes, quos mores, quem naturæ & doctrinæ fructum, quos sibi amicos & familiares conciliaverit, vix scio, quid sim regeiturus; Regeram tamen. Hominis obligatio non minùs scitè quàm verè triplex esse dicitur: Erga Deum una, erga seipsum altera, tertia erga alios, tum suos, tum non suos. Erga DEVM quomodo affectus fuit Princeps noster? Dixi suprà, sanctè eum coluit, ad sanctum ejus cœtum se aggregavit, eum omnium actionum scopum, quo collinearet, in omni vita sibi proposuit. Ecquomodo verò adversus se? Moderationem animi ipsius & æquitatem quilibet miratus est: Nihil magnificè de se sensit, demissè semper se gessit, non illum *Philælas* morbus divexavit, nec animi tranquillitatem ac modestiam ullus unquam ambitionis æstus perturbavit. At quemadmodum erga suos animatus? His vitæ integritate præire, hos unicè amare, hos optimè & liberaliter educatos, hos litteris & pie-

D

tatis

tatis doctrina imbutos voluit. Erga eosdem, ut fuit pe-  
ctus *ἄσπευότατον*, eximia fuit affectione. Ecquis tan-  
dem fuit adversus alios? Noverunt omnes, qui viven-  
tem noverunt, quam vel vix leviter commendatos ab  
alijs clementer adjuverit, literis tinctos amaverit, nemi-  
nem se inferiorem abjecerit ac præ se despexerit.

At interim, dum Administrationis sibi commissæ  
officio strenuè fungitur Dux noster Inclytus, adultior  
factus Elector natus maximus CHRISTIANVS, adq;  
justam annorum metam, quâ aureæ, quam vocant,  
Bullæ Karulino jure administrationes Electorales de-  
finere scimus, perductus, omnem gubernationis mo-  
lem in seipsum derivare volens, Tutorem suum fidelis-  
simum proprio Ducatui cum debito gratitudinis offi-  
cio restituit, qui gratissimus diuque desideratus Hospes  
pari ac antè felicitate, curâ & diligentia suis præcessit,  
verùm, proh dolor, tempore nimis brevi atque exiguo  
præcessit. Nam mense vix abhinc octavo ad suam  
Provinciam reversus, nuper septimo Julij die, undeci-  
ma sub noctem, Anni currentis 1602. ex hujus mundi  
miserijs & iniquissimâ vitæ conditione, in qua nihil est,  
quàm propagatio miserrimi temporis, ad Beatorum  
confortium evocatus, placidissimâ obdormitione, bona  
cum pace, anima in Servatoris sinum deposita, corpore  
verò terræ matri consecrato emigravit, cum superasset  
annos XL. cum aliquot mensibus. Sed heu breve vitæ  
spacium! heu curtam dierum supellectilem! Quàm  
fragiles sumus omnes! Qui putat se stare, en quàm mox  
cadit, non præter suam tantum, sed omnium etiam alio-  
rum opinionem! Et *quæ tibi læta videntur, Dum loque-  
ris, fieri tristia posse puta.* Quid verò nobis reliquit Prin-  
ceps

ceps optimus? Corporis exuvias. Quid tum? terram.  
 Quid deinde? Nil nisi mœroris magnitudinem, quam  
 ex improvise & insperato ejus discessu cœpimus. Quòd  
 si ad Salam præcipui isti duo Germaniæ Fluvij, Mœnus  
 & Rhenus accederent, vix tamen tanta aquarum col-  
 lectio fieret, quantam lachrymarum vim nostros ocu-  
 los emittere convenit. Nunc demum intelligimus,  
 quàm verum sit illud Ciceronis, quod in Dialogo de  
 senectute scribit, Juniores facile in morbos incidere,  
 gravius ægrotare, tristiùs curari. Sed cur tantoperè  
 lugemus? Causæ sunt plurimæ. In quoscunque angu-  
 los verteris oculos, videbis luctum, luctusque gravif-  
 simi causam. In aulam Principis converte oculos,  
 quanta ibi solitudo! Omnes anguli boant: Propinqui,  
 Consiliarij, Ministri omnes attoniti stupent. Quid ita?  
 Nihil spei aut præsidij reliquum est, sublato eo Duce,  
 cujus provida cura liberi erant à plurimis incommodis.  
 O miseros nos homillos sine Capite, sine Rege reli-  
 ctos! Quid sine te sumus Optime Princeps? Grex sine  
 pastore, liberi sine parente. Quis igitur mortem tu-  
 am satis dolenter & æquo animo ferre potest? Luget  
 te illustrissima conjux, lugent liberi. O separationem  
 duram, ô avulsionem immaturam! Quis ferret, inquit  
 sacratissimus Justinianus Imperator, liberos à parenti-  
 bus, à fratribus sorores, à viris conjuges abstrahi! Non-  
 ne Themistocles Octogenarius cum fortuna exostu-  
 lare non dubitavit, quod tum mori cogeretur, cum jam  
 primùm sapere cœpisset? Ferendum tamen est, quòd  
 nullo consilio potest vitari: Nihil unquam tam fuit so-  
 lidum aut integrum in rebus humanis, quod non sit  
 concussum, labefactatum & convulsam. Labuntur  
 omnia,

omnia, tremit tellus, minatur coelum, exulat probitas, in fuga est pietas, omnia denique in pejus inclinant. Unde conjectura infallibilis hauritur, supremum Mundi diem, quo Filius Dei in gloria sua justus iudex appropinquabit, non longè à tergo nostro abesse, sed omninò fores paulatim pulsare incipere. Sed quò tandem remedium acerbissimo nostro luctui adhibeamus? Quid contulamus? Quem modum lacrimis opponemus? Difficilis is est praefinitu. Est tamen aliquis. Solari nos debet illud Ciceronis ad Titium, interitum filij mœrentem, cum in morte nihil mali esse scribit, in qua, si resideat sensus, immortalitas illa potius quàm mors dicenda sit: Sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quæ non sentiatur. Solari nos debet, quò sine dolore ullo hinc migravit, quòque leni languore atque sopore, cum quadam quasi naturæ voluptate ipsa corporis dissolvi coagmentatio visa est. Sunt quidem ex sapientibus, qui non in miseria, sed felicitate repentinam mortem collocant, maximè eorum, qui lucis atque diei, ut loquitur Apostolus, non noctis ac tenebrarum Filij extiterunt: Verùm terret, & horrorem incutit hominibus tale mortis genus, & eò magis incutit, quò lumis viris est familiaris. Solari nos debet permutatio illa opima & optima, quâ ex mortalitate ad immortalitatem, habitatione terrestri ad cœlestem, virâ turbulentâ ad pacificam, tenebris ad lucem traductus est. O permutationem lucrativam, à nemine non expetendam! Solari debent, & dolores minuere superstites Filioli, in quibus non parum spei & praesidij locatum habemus. Tenebit hos D E U S in paterna custodia sua, vires corpusculorum tenellorum paulatim confortabit, consiliorum

liorum & intelligentiæ igniculis donabit, & ita donabit,  
 ut Proavorum vestigijs presens inhaerentibus gubernationis  
 munus aliquando tutò possit committi. Solari  
 denique nos debet præter complures Saxoniae Principes,  
*Heroicus ille ferti rutacei vindex*, Dux IOHANNES,  
 Dominus noster Clementissimus, qui Tutor & Patronus  
 non solum illustrissimam viduam inclutamque su-  
 bolem, sed & nos in orbitate nostra consilio & operâ as-  
 siduâ iuvabit. Quod te libentissimè facturum esse, Dux  
 Inclute IOHANNES, quò spes est certior, eò prom-  
 ptius ad te meus nunc excurrit sermo. Et profectò, quò  
 dolor ex illustrissimi Principis FRIDERICI VVIL-  
 HELMI Fratris tui dilectissimi abitu, conceptus, acer-  
 bior extitit: eò illustrissimæ Celsitatis tuæ latior nobis  
 est aditus. Morte quidem illius damnum fecimus  
 majus, quàm deplorare fatis possumus. Tuæ verò Cel-  
 sitatis adventu sic recreati sumus, ut aliquatenus respi-  
 rasse & emeruisse ex luctu squaloreque videamur, capi-  
 ta paulatim erigere incipientes, spemque certam & in-  
 dubitatam solatii, salutis & felicitatis, in tutela & patro-  
 cinio tuæ gubernationis justissimæ & æquissimæ collo-  
 cantes. Etenim affers tecum præsidia ad administran-  
 dam Provinciam, Remque publicam regendam, firma  
 & salubria, sapientiam, vigilantiam, auctoritatem & fe-  
 licitatem, quæ quidem ante oculos posita & in usu quo-  
 tidiano collocata cernimus. Unde meritò, jure omni-  
 in ista T. C. bonitate acquiescimus, gratisque animis  
 immensum hoc in nos collatum beneficium agnosci-  
 mus & celebramus, nec desistemus etiam à Deo assiduis  
 precibus contendere, ut diu gaudere hoc tam excellenti  
 bono possimus. Sed quid ingemiscis? Cur tot acerbis  
 lachry-

lachrymas profundis? cur tristitiæ te tradis? Desiste,  
 Princeps mitissime, desiste adfiduis lachrymarum rivu-  
 lis genas faciemque humectare, desiste curis edacibus  
 animum corrodere, desiste crebris verberibus pectus di-  
 verberare, quòd dilectissimum Fratrem tuum, jucun-  
 dam illam animi tui requiem, cui tu sæpè curas adi-  
 mebas, & si quod acerbitatis virus forsan in eo enasce-  
 batur, ebibeas, fatali jaculo percussum amiseris. Nosti  
 certius, quàm ut moneri debeas, præsertim à me, infe-  
 rioris subsellij homine, è quercubus & faxis nato, vixq;  
 digno, qui pedum tuorum vestigia deosculetur, morta-  
 les omnes eâ lege natos, ut omnibus fortunæ telis ipso-  
 rum vita sit proposita: neque recusare posse eam, quâ  
 nati sunt conditionem. Parcarum ordo stat immuta-  
 bilis, fatum ineluctabile, immutabilis rerum dispositio.  
 Conspicis surdas esse mortis aures, pectus saxeam, in-  
 evitabile telum. Quin si altiùs paullo tecum perpende-  
 ris, quænam sæpissimè ex nimia hac tali dolorum rabie  
 sint nata incommoda, quæ exitia, clades, alijsque id ge-  
 nus frequentes & innumeri, hominum quamlibet præ-  
 cipuorum, interitus, calculum reduces, & lachrymis fa-  
 cilè temperabis. Nota est de Alexandro Magno Hi-  
 storia, qui, postquam Hephæstione amico ex febre mor-  
 tuo, confestim omnes equos lugubriter tonderi, cir-  
 cumjacentium oppidorum pinnas detrahi, Glaucum  
 Medicum innocentem in exilium detrudi, tibias Musi-  
 camque per diu in castris inhiberi iussisset, talem eleva-  
 tioni doloris, luctusque mitigationi, medicinam adhi-  
 buit, ut bello suscepto, velut ad venationem hominum  
 egressus omnem Cusæorum gentem exciderit, adque  
 interneccionem usq; deleverit. Quid Cleomenis Spar-  
 tano



anorum Regis in Aegypto exulis, filium movit, quòd  
 præter omnium spem & expectationem à summo ædi-  
 um culmine se præcipitem demiserit, eaque re egerit,  
 ut omnes Cleomenis fuisse filium intelligerent? Non-  
 ne Parentis suæ Cratesicleæ lachrymæ, ex quibus patris  
 mortem arguebat & suspicabatur? Gordianus, senior  
 Africæ Proconsul, ab exercitu Africano adversus Ma-  
 ximinorum crudelitatem Imperator creatus, cùm Fili-  
 um Gordianum contra Capellianum Maximinorum  
 Ducem missum, accepisset victum atque cæsum fuisse,  
 præ mœroris magnitudine se in cubiculo suspendit.  
 Plura huiusmodi, eaque infinita, possem recensere ex-  
 empla, nisi tibi antè, O Dux, magnum eorum penus,  
 magnamque suppellectilem in parato esse persuasissi-  
 mum mihi haberem. Esset herculè, quod meritò pos-  
 ses vel me tacente conqueri, si mitius cum cæteris mor-  
 talium, quàm tuo cum Fratre, in Domino quiescente,  
 factum conspiceres: Esset, quòd Deos & astra vocares  
 crudelia, esset quod justè mortem ut injustà accusares.  
 Verùm, ut ait Tragicus, mors omnibus est eadem, omni-  
 bus æqua: Non superbificis Regum divitijs magis quàm  
 lacero mendicorum panno & pallio flectitur: Nec fre-  
 quentius casas & tuguria, quàm turres & castra ingre-  
 ditur & expugnat: nec magis Iro quàm Cœlo, Curio  
 quàm Augustis se præstitit inimicam. *Non hanc fucatis  
 declamationibus Oratores; suavidicis carminibus Pœ-  
 tæ; nervosis Elenchis crisiq; acuta Dialectici; profundis  
 precationibus relligiosi Theologi; divitijs suis superciliosi  
 Consules, Nasuti tribuni, oculati Praetores, acuti Causidici,  
 Quæstores vafri; promiscuis pharmacis aut unguentis  
 Medici ac Myropolæ; actionibus & interdictis Iuriscon-  
 sulti;*

*sulti; Quadratura circuli duplacione ve cubi Mathematici; erectione figurarum caelestium Astronomi; teretibus lanceis equites; pennatis missilibus strictis ve mucronibus pedites; immenso horrendoq; Sacramentorum abusu Nauta & Cauponarij; gemmatis coronis Imperatores; non deniq; cuncti mortales rebus ullis mortē effugiunt & terrent. Neque sanē honestius aut sublimius Regi, quā ovium pastori domicilium præparat.*

*Quantum quisq; sui metitur corporis umbra,  
Impendet terra: maiorem non parat urnam  
Principibus, quā pauperibus rudibusve bubulcis.*

Quin & urbes fortissimis munitas propugnaculis, templa varijs extructa marmoribus, aulas Attalicis decoratas tapetibus, funditū demolitur, evertit, dissipat. Ergo cū nihil intactum relinquat, cui suæ acerbitalis virus non propinet, quod suo telo non fodicet, quem à tergo insequens non rapiat, moderare, moderare impetum, ô Dux, transitumq; fraternum vultu sereno ac minimē superciliolo perfer. Quò ut pacatiū inducaris, vel hoc unicum, quod dixi, constantissimi solatiij sit argumentum, quod non repentino obitu, (ut plerique à Plinio enumerati) sed diluta, ac expurgata longo examine conscientia (quanquam nihil unquam severa dignum scutica brevibusque Gyaris & umbrarum carcere dignum perpetraverit) ita discesserit, ut Socrates ab Aristippo scribitur. Hic enim interrogatus, quomodo Socrates diem suum obiisset, ut ego, inquit, optarim: Significans, talem vitam, quavis morte optabiliorem: Nec potuit brevius felicem obitum depingere. Dicti tamen argutia in hoc est, quod Philosophus aliud responderit, quā expectabat percontator.

Quare

Quærebat hic de genere mortis, morbo periisset, gladio, veneno, an præcipitio: Ille putans id nihil referre, respondit feliciter esse mortuum. Quòd si omninò tantus tuis dolor infidet medullis, ut nullis verborum aggeribus sanari queat, mansuescere eum saltem & levare patere, alienæ constantiæ exemplis itidem monitus. Anaxagoræ imprimis, qui audita filij morte, nihil sibi novi nunciari asseruit, quod ex se natum mortalem sciret. Periclis item, qui duobus filijs intra quatrimum spoliatus, iisdem diebus vultu non magis moto, quàm si fuisset dura silex vel marpesia cautes, concionatus est. Postremò Aemilij Pauli & Xenophontis, quorum huic, sacrificium agenti, cùm nunciatum esset, alterum ex filijs natu majorem, in acie cecidisse, coronam tantùm deposuit: percunctatus, quonam modo cecidisset, ut audivit fortissimè pugnans interisse, depositam capiti coronam reposuit, numina testatus, se ampliorem ex filij virtute voluptatem, quàm ex morte amaritudinem sentire. Ille, dum quarto ante triumphum suum Macedonicum die, alterum filiorum amisisset, alterum demum tertio post triumphum, jacturam illam æquo animo tulit. Hic ego, Auditores, si Orationis vela pandere, & aperto in vectus mari, per omnia terrarum loca decurrere velim, vereor ne, cùm dicendi principium facile repererim, exitum invenire non possim. Itaque multa consultò mihi prætereunda sunt, nec tam, ut varietatem in ostendenda varietate confectè, conandum, quàm ut facietatem aurium vestrarum effugiam, elaborandum. Quis enim unquam tantà ubertate ingenij, tam divino atque incredibili dicendi genere præditus reperietur, ut non de Christiana pietate Celsissimi in

E

Christo

Christo dormientis Principis plurima cum dixerit, plura tamen longè omisissè videatur!

Quare ad te rapiar, Illustrissima Illustrissimi Principis Academia, & ordinis & loci ratio me commonet. Ad quem enim alium, quàm ad eum, quem æquè venenato & aconito oblito telo luctuosissimus Nutritoris universi hujus abitus & obitus, plus quàm dici potest, lethaliter perfossit? Agite ergo, P. C. & vestrum mecum superaddite fletum, vestrum ostendite lessum, vosque metipfos animumque vestrum ita exhibete, ut non lætitiā sed mœstitiam, non fremitum, sed gemitum, non clangorem, sed plangorem minitari videatur. Si enim nunc epulamur lautè, si rerum omnium ad usum quotidianum nobis suppetit, id ipsum cui acceptum referre convenit, quàm huic nostro, in Christo qui obdormivit, Principi, cui & ipsam animam debemus etiamnum? **D E V M** immortalem, quis temperet invectivis? Quis non excretur eorum summam impietatem, ingratiq̃ animi morositatem, nisi fortè corneam fibrā, aut jecur adamantinum, roburque & æs triplex circa pectus habuerit, qui postica multorum sanna tristissimam hancce, omnibusq̃ & singulis Christianæ fidei statibus deplorandam cladem, turpissimè condolendam relinquunt? O mala tempora! ô perditam ætatem! Velim, nolim, taceam oportet. Plura enim dicere vix permittit comitissimum hoc suggestum, nec si id permitteret, mea id, quæ alicui fucata videri posset, pateretur Religio. Vos vos compello P. C. reque nobilis & erudita hospitem concio, quos certò scio, non minùs ex intimi pectoris penetralibus cum tota domo Saxonica demortuum in Christo Principem lugere, quàm secus facientes ad

tes ad ultimos usque Garamantas relegare, exterminare. Si mortuam Murænam flevit Hortensius multos dies atratus, quantò magis nos Ducem nostrum, ceu hominem, ratione, animâ, dignitate, formâ & nobilitate bruta infinitis parasangis præcellentem, & à centesimo usque jugere à tergo relinquentem, flebimus? Reminiscamur opprobrii, quod omnium nostrum cervicibus impendet, si subitæ convincamur oblivionis. Reminiscamur jacturæ, si convincamur ignorantia. Reminiscamur famæ & existimationis ruituræ, si inveniamur siccoculi. Expergiscamur, Auditores, surgamus à jubilis, caput cinere conspergamus, saccum induamus, rejecto holoserico & Dalmatico. Quin & citò pede accurramus, debitosq; honores defuncto præstemus. Apud Lacedæmonios, qui strenuam in militia operam navassent, ac pro patria fortiter occubuisse, olivâ & alijs ramis redimiti, laudibus vehebantur; ac demum pretiosissimâ purpurâ amicti gloriosè ac honorificè sepulchris mandabantur. Mortuo Attila Hunnorum Rege, milites ad ritum gentium, crinium parte recisa, ora vulneribus lacerarunt, amissi q; Regis funus ingenti gemitu ejulatuque deflentes apparatu regio instruxerunt. Sic & nos Servatorem nostrum & Patriæ parentem, qualiter illi L. Paulum Aemilium appellabant, funebri pompâ cohonestemus, virtutes ejus præstantissimis felicissimisq; exequijs decoremus, funebrem lectum subeamus ac deponemus. Sed & cum Iberis tot obeliscos ad sepulchrum erigamus, quot virtutum in religiosissimo Principe extiterunt insignia. Et quemadmodum tumulo Leonidæ Leonem, Diogenis canem, Diodori Rhetoris cervum, Laidis leonem, Ari-

Stomenis Messenij & Platonis aquilam, Archimedis Sphæram cum Cylindro imposuerunt: Ita quis nos oculis obliquis intuebitur, si cippo Ducali, ipsius Palladis Deæ imaginem, Relligionis clypeo armatam, Iusticiæque librâ donatam, quâ defuncti virtus & professio significetur, inciderimus? Denique defuncti laudes solennibus Orationibus prosequamur, lalemone recenseamus, nœniasque apio coronati decantemus. Funebrem orationem de Iunij Bruti Collegæ sui laudibus, primus P. Valerius Publicola habuit, adeò gratam Romanis jucundamque, ut ex eo consuetudo manserit, ut qui strenuè pugnando interisset, ab optimatibus laudaretur. Quintus Fabius Maximus præ cæteris unus, in funere filij intestino dolore affectus, oratione non infracta ad populum ipsius laudes magno spiritu disseruit. Appij Claudij decemviri defuncti laudationem plebs Romana æquis & benignis auribus audivit. Publium Scipionem in funere supremo, ut hominem divinum Q. Fabius Maximus commendavit. Sed quò tandem venio? Paullò altiùs me mari & ventis credidi. Verùm non idcirco hoc feci, ut gratiam cuiusquam aut favorem assentatiunculâ quadam aucuparer, sed ut doloris magnitudinem vobis excitarem, rursusque modum & inhibitionem ostenderem. Monet me nunc temporis angustia, vestraque in audiendo humanitas atque patientia, quâ tantùm abest, ut abuti, ut etiam decenter revereri velim, ut sentina exhausta velisque contractis ad portum navigem.

Cognovistis igitur hætenus, Auditores, ex quali quali hac commemoratione, Pietatem, Relligionem, Munificentiam, **F R I D E R I C I V V I L H E L M I** Principis,

cipis, inprimis ad verum **D E I** cultum nati. Ergo de  
**F R I D E R I C O V V I L H E L M O** quoties cogitabitis,  
 cogitabitis autem sæpius, nil nisi insignem ejus pieta-  
 tem, singularem sapientiam, mirabilem liberalitatem  
 cogitabitis. Imò propter illam devotæ Religionis re-  
 ctitudinem, sinceræque fidei integritatem, non sine  
 mœstu & lachrymis nulla non hora pensabitis, quàm  
 salutarem Principem amiseritis. De Amphiarao au-  
 gure, Lini & Hypermnestræ filio, Argivi clamasse fe-  
 runtur: *Oculum exercitus nostri desideramus.* Nos rectius  
 unanimi consensu vociferamus, *Oculum Ecclesie, ocu-  
 lum Academiae, oculum harum terrarum amissimus, Pa-  
 trem patriæ, defensorem Ecclesie, columnen domus Sa-  
 xonicæ, solatium Romani Imperij, Mecœnatem Aca-  
 demie nostræ, veræ pietatis & constantie miraculum.*  
 Quis enim **D E I** verbum fordibus & cœno Papistico  
 & Calviniano immune servavit? **F R I D E R I C V S**  
**V V I L H E L M V S** Dux Saxonie, Quis Scholas & Aca-  
 demiam hanc inviolatam custodivit? **F R I D E R I C V S**  
**V V I L H E L M V S** Dux Saxonie, Quis ejusdem Privi-  
 legia facta tectaque tuitus est? **F R I D E R I C V S V V I L H E L M V S**  
**V V I L H E L M V S** Dux Saxonie, Quis eximia spei adolescen-  
 tes ad Ecclesie Scholæque utilitatem stipe annua fovit?  
**F R I D E R I C V S V V I L H E L M V S** Dux Saxonie,  
 Quis denique in agnita veritate doctrinæ cœlestis ad  
 extremum usque spiritum constantissimè persevera-  
 vit? **F R I D E R I C V S V V I L H E L M V S** Dux Saxo-  
 nie. Utinam ô utinam longioris vitæ usura cœlestis tibi  
 tributa fuisset, quantò id toti illustrissimæ Ducum Sa-  
 xonie Familie ornamento, quanto quantique egregio  
 præsidio alijs quàm plurimis cederet! Sed ô inanes no-

stras cogitationes! O lubrica vitæ humanæ curricula! Ostendere nimirum virtuosum hunc Principem & præfigurare tantum voluit **D E V S**, cujus ut arcana, ita iusta, ideoque ferenda non culpanda sunt iudicia. Euge igitur, euge **FRIDERICE VVILHELME**, serve **IESV CHRISTI** fidelissime, Euge! In quanta gaudia Domini tui, hinc ex hominibus abiisti? In tanta scilicet, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in ullius cor unquam descenderunt, ea præparavit tibi **D E V S** diligenti se. Conquiesce tu in istis, Princeps beatissime, & tuorum, quibus viam præparaturus præivisti, nostrique omnium adventum indies ardenti cum desiderio expecta, quando constantiam tuam prædicantes tecum in conspectu **D E I** letabimur, Deoque bonitatis immensæ gloriam æternum accinemus.

Interim tibi, ô æterne, omnipotens & misericors **D E V S**, toto corde gratias agimus, quod per hoc electum organon gratiæ tuæ, lucem Verbi tui in Scholis & Ecclesijs accensam conservare voluisti: teque intimis pectoribus pectorumque veris gemitibus oramus & obtestamur, ut Verbi tui thesaurum, Lutheranam Religionem, quâ animarum nostrarum salus continetur, inter nos puram & incorruptam clementer custodiri & retineri patiaris. Tuere, quæsumus, defende & corrobora Illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum **IOHANNEM** Ducem Saxonie, &c. ut qualis semper extitit Heroicus, Veritatis & puræ Evangelij Doctrinæ amantissimus, Pacis studiosissimus, Nutritius & Patrius Universitatis hujus laudatissimus, talem se præbeat ad ultimum usque vitæ suæ punctum. Imprimis verò averte à nobis omne detrimentum & peri-



periculum, os gladij, subitanam & improvifam mortem, pestem noxiam, luem contagiofam, omnes morbos exitiales & cruciatus mortiferos. Sunt enim jam antè afflictæ & in desperationem propè redactæ res nostræ. Fatalis quædam toti Europæ impendere mutatio, exitiofamque minitari ruinam videtur. Magnum undique cinctum periculis, hostibus multis, ijsque potentibus septum est hoc regnum, cùm communis ille Christianorum omnium hostis nostro in conspectu latrocinia exerceat, & arces, partim arte, partim naturâ munitas occupet, diripiat urbes, vicos exurat, nulla vel ætatis vel sexus vel vitæ conditionis habitâ ratione, aut pecudum more homines jugulet, aut miserabilem duramque in servitute abigat: ludus ei incendium, voluptas cruor, Musica suavissima ejulatus atque planctus fit: quid in nos quoque, Remque publicam Christianam totam moliatur, nemini cordato prudentiq; obscuro esse potest. Arce ab alveolis & domibus nostris hos immanissimos Getarum acinaces, ne hereditatem & peculium tuum, quod maximè in votis habent, evertant. Denique ô æterni Patris sapientia, omnibus nobis, qui nondum sumus per Iordanem, hoc est, per mediam mortem in patriam promissam traducti, ad sis, rege cursum oaducæ hujus vitæ nostræ; ad certamen cum morte aliquando subeundum, necessariâ firmaque nos *πρωτοπλία* instrue: & da tandem ex hac ærumnosa mortali que vita salutarem, in vera tui agnitione & invocatione exitum, ut in omni æternitate in thronum gratiæ gloriæque recepti te cum Patre tuo & Spiritu sancto perfectè & sine peccato celebremus. D I X I .

cula!  
m &  
a, ita  
Euge  
serve  
gau-  
tanta  
ec in  
t tibi  
nceps  
præ-  
cum  
ican-  
boni-  
icors  
c ele-  
holis  
e inti-  
amus  
anam  
ntine-  
usto-  
de &  
um,  
qua-  
gelij  
lutri-  
s, ta-  
tum.  
m &  
peri-

14 170 17

M.C



ULB Halle  
004 973 526

3



V077





A. 66, 3.



IVSTA S

*Immaturam, pia*

ILLVST

ILLVSTRI

ET NOMINE PI

DERICI VVI

Saxonix, Landgr

chionis

*Post depositam Elector*

*nistrationem contigi*

*hora pomeridian*

*secundi s*

S O L

*In incluta Ienen*

M. IOHAN

Burgent

I

Tobias Stein

